

Sospitator bibere recusauerit, quia Iudaeis animus erat, ut IESVM inebriarent, ut diuinitatem eius hac re exploratam et deceptam certius negare possent. Idem procul dubio MARTYRI nostro accidit, quem tamen ea de causa, quod potus ille bibentes inebriaret et mente perturbaret, recusasse uidetur, quia LVCAS huius rei mentionem ne uerbulo quidem iniiciat.

§. XI

XIX, 29. Mark XV, 23. Luke XXIII, 36. Errant igitur hi alias doctissimi uiri, qui hunc potum *acetum*, seu militum Romanorum *Poscam* esse crediderunt, una cum MATTHIA FLAGIO ILLYRICO, qui in Comment. suo in MATTH. Cap. XXVII, 34. pag. 128. dicit: *fuit haec potio mixta aceto felle et myrrha, quo, aperiendo uenas, et fluxum sanguinis augendo, acceleraretur mors crucifixis, sed Christus e gustu intelligens genus potus, noluit anteuertere horam suam.* Potius autem, ut in IOH. Cap. XIX, 29. pag. 458. commentaturus pergit: *Christus iam omnibus peractis, uitam finiturus, petiit potum.* His quidem obiectionibus respondeo primum, quod *Posca* non nominari potuerit *ὄξος μετα χολης μεμιγμενον*, uel, ut apud MARCVM legitur, *ἔσμυρτισμενος οἶνος*, sed *ὄξυκρατον*, quia *Posca* semper ex aceto et aqua CELSO lib. II. cap. 30. PLINIO in Hist. Nat. lib. XXX. cap. 7. et VOSSIO in Etymologico pag. 402. suffragantibus commixta erat. Deinde distinguendum esse arbitror, inter potum, quem CHRISTO porrigebant, quum in montem Golgatha ueniret, hic potus erat Ebraeorum קורט של יין לבונה בכוס של יין poculum uini cum grano thuris commixti; et inter potum, quem, quum ualde sitiret CHRISTVS, sibi ipsi expetiit, hic erat *acetum*, aqua mixtum, uel militum Romanorum *Posca* quem potum una cum armis et cibariis, omnibus in locis, SPARTIANO in Pescenn. cap. VII. et in ADRIANO cap. X. LIVIO et PLAVTO in milite glorioso III, 2. 23. autoribus, semper secum ferre, et ad manus habere debebant.